



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 476. An & qualiter competat creditori jus retinendi pignus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

causam, puta, quia potentes, rixosi, soliti non solvere etiam verum debitum sine lite. Si tertius ille sciens rem oppignoratam comparaverit. Alios casus vide apud Lauterbach. §. 75. De cetero ubi debitor sciente & consentiente creditore pignus alienavit, non potest creditor adversus emptorem aliove titulo acquirentem, pignus amplius agere. Arg. l. 2. C. de remiss. pignor. Sicut enim contracta fuit obligatio pignoris consensu creditoris, sic etiam eodem consensu solvitur.

3. Resp. ad tertium: Huic actioni hypothecariae inter alias obstat primò respectu tertii exceptio non facta excussionis debitoris, ubi ea fieri potuit ac debuit juxta dicta paulò ante. Quae tanquam dilatoria, de jure ante litem contestatam est opponenda. Arg. l. 19. C. de prob. Lauterb. §. 85. Quamvis de aequitate eandem etiam post contestatam litem, admittant apud eundem Gaius. l. 2. obs. 27. num. 3. Berlich. p. 1. concl. 18. num. 80. Carpzov. p. 1. c. 3. def. 17. Secundò pignoris vel debiti solutio. Tertio exceptio oblatæ solutionis debiti. l. 12. §. 1. ff. quib. mod. pign. solvat. Bachov. de pign. l. 3. c. 14. n. 5. Lauterb. loc. cit. Quarto exceptio cedendarum actionum, nimirum in justo possessore. l. 19. ff. quis pot. in pign. Quintò exceptio præscriptionis. Dum huic actioni præscribitur extraneo, ex justo titulo & bona fide possidente inter præsentis decem, inter absentes verò 20. annis. l. 1. §. 2. C. si adversus creditor. idque, etiam si res obligata sit mobilis. cit. l. 1. & ibid. Brunnem. & possessor causam habeat à mala fidei possessore, qui nimirum scivit rem alteri obligatam. cit. l. 1. Lauterbach. §. 82. Currit autem hoc tempus bonæ fidei possessoribus, non prius ex tempore excussionis debitorum, sed statim ex tempore possessionis bonæ fidei acquisitæ. Merlin. de pign. l. 5. quest. 22. à num. 9. Negul. eod. cit. m. 2. num. 4. Papon. l. 12. tit. 2. arrest. 8. 9. & 10. Vasq. illust. 99. l. 1. c. 60. in fin. Bachov. loc. cit. c. 3. num. 3. & plures alii, quos citat & sequitur Lauterbach. §. 83. mala fide possidente finitur hæc actio 30. annis juxta l. 7. §. L. fin. C. de 30. vel 40. annor. præscript. Si verò ipse debitor, aut ejus hæres, vel tertius creditor loco debitoris adhuc viventis rem obligatam possidet, actioni hypothecariae non nisi 40. annis præscribitur. cit. l. 7. & Brunnem. ibid. Lauterbach. §. 84. Verùm ut rectè Idem cum Merlin. loc. cit. quest. 12. Christianæo vol. 4. decis. 84. num. 2. & aliis. Jure Canonico hodie in hac parte recepto mala fides etiam has longissimas præscriptiones impedit juxta c. ult. de præscript.

Quest. 475. An & qualiter competat creditori actio pignoratitia?

Resp. Præter actionem hypothecariam (quæ, ut dictum est, realis est, seu rei oppignoratæ prosecutoria) competit creditori & hæredibus ejus actio pignoratitia, quæ personalis est, & datur ei contra personam debitoris ejusdemque hæredes pro recuperandis impensis necessariis, quas fecit creditor in conservando, tuendo, retinendo pignore. l. 8. ff. de pign. act. quæ eadem etiam competit illi contra debitorem, si is ei oppignoravit rem alienam invito domino, vel etiam rem propriam quidem, sed alteri jam prius obligatam, ita ut utriusque obligationi satisfacienda non sufficiat. L. si rem alien. ff. de pignorat. act. vel si æs pro auro in pignus dedit. L. si quis in pignus.

Quest. 476. An & qualiter competat creditori jus retinendi pignus?

Resp. Competit creditori rem oppignoratam tenentis jus retentionis seu retinendi eam, ita ut suam possessionem vel detentionem defendere possit exceptione pignoratitia, sive defensione pignoris, ut vocatur. l. 6. §. 9. ff. commun. divid. donec debitum totum solutum, ita ut totum pignus retinere valeat, etsi pars aliqua debiti soluta. Arg. L. si rem alien. ff. de pignorat. act. & quidem non tantum debitam, pro cuius securitate pignus debitum, sed & aliud, si quod est, pro quo res illa non fuit oppignorata Lauterb. §. 86. cum communi. juxta expressum textum. L. unic. C. etiam ob chirographariam. Quæ lex etsi solum loquatur de pecunia chirographaria, seu sub solo chirographo sine pignore accepta mutuò, propter identitatem tamen rationis obtinet in quocunque debito ex quacunque causa, ita ut pecunia illa solum ponatur exempli gratiâ Lauterbach. loc. cit. aliquoties secundum hæc judicatum in Camera Imper. dicens. Aliud tamen esse, si aliter convenerint partes, ut si pignus ad unum tantum debitum particulâ taxativâ fuerit restrictum, vel uno tempore duo debita contracta & pro uno pignus datum. Bachov. de pignor. l. 3. c. 5. num. 4. Lauterbach. loc. cit. ubi etiam, quòd interdum jus retentionis ex speciali aequitatis ratione, licet pignus ipso jure non valeat. Pari ratione retinere potest pignus, etsi debitum principale planè solutum, donec expensæ quoque factæ in conservando & tuendo pignore refusa sint. l. 8. ff. de pignorat. act. Pith. h. v. num. 23. cum comm.

Quest. 477. An & qualiter jus distrahendi pignoris tam debitori quam creditori competat?

1. Resp. ad primum: Potest debitor, utpote manens dominus rei oppignoratæ, eam jure domini vendere aliòve modo distrahere & alienare. l. 35. §. 1. ff. §. l. 6. C. de pignorat. act. cum causâ tamen & onere suo, salvo nimirum pignoris, quod in ea habet & retinet creditor, & cum quo ad quemcunque ejus possessorem transit; ac proinde dicta conditio semper subintelligitur l. 12. C. de distract. pign. l. 15. C. de pign. Idque, sive res in genere, sive in specie; sive expressè, sive tacitè sit obligata. Lauterbach. in ff. de distract. pign. ita tamen, ut si debitor hypothecam generalem licitè cum suo onere alienare possit; specialem verò alienando furtum committat juxta l. 19. §. 5. & l. 66. ff. de furto. & incidat in crimen stellionatus juxta l. 3. §. 1. de crim. stell. Franzk. ad ff. de distract. pign. num. 9. Lauterbach. loc. cit. Modò tamen pactum de non alienando non accesserit. In quo casu alienatio facta à debitore est nulla ipso jure. l. 7. §. fin. de dist. pign. Franzk. loc. cit. à num. 10. Lauterbach. loc. cit. Etiam si, ut Idem, creditor hypothecarius sciverit, rem à debitore alienari, vel ab alio creditore autoritate Judicis distrahi l. 8. §. 15. ff. quib. mod. pign. solvat. modo dolus absit, vel creditor præsens tempore, quo res distrahitur, admonitus jus suum non exequatur. l. 6. C. de remiss. pign.

2. Resp. ad secundum: Creditor, etsi dominus pignoris non sit, potest tamen rem oppignoratam, etiam invito debitore, vendere seu distrahere, si ei debitum statuto tempore non fuerit solu-